20

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

AEGRA

HAEMORRHAGIA NARIVM A SVPPRESSIONE MENSIVM LABORANTE.

QUAM

D. O. M. A.

CONSENSU ET AUTORITATE AMPLISSIMI IN ALMA JULIA MEDICORUM ORDINIS

PRÆSIDE

DN. A. C. GAKENHOLZ

M. D. SERMÆ MAJ. MAGN. BRIT. MED. AUL. ANAT. PHYSIOL. ET BOT. P. P. O. ET COLLEGII MEDICI H. T. DECANO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI

CHRISTIAN. MICHAEL. Leſche

QUEDLINBURGENSIS SAXO.

IN MAGNO JULEO

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS D. XXI. SEPTEMBR. ANNI MDCCXVI.

HELMSTADII

Typis HERMANNI DANIELIS HAMMII, Acad. Typogr.

DEO
PATRONIS
AC
OMNIBUS FAUTORIBUS

HANC DISSERTATIVNCVLAM

CONSECRAT

OFFERT ET DEDICAT

AVTOR.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

AEGRAM

HAEMORRHAGIA NARIVM A SVPPRESSIONE MENSIVM LABORANTEM.

VEtus eſt querela Medicorum; Mulierem omnem Morbum bis pati. Nec injuſte, namque & patitur eadem quæ Viri & inſuper infinitis vexatur morbis ſibi quaſi propriis. Non

 tamen

tamen exiſtimamus cum vulgo, Uterum ſemper in culpa eſſe, qui ſæpe prorſus innocens, tamen graviter, tanquam ſolus Mali Auctor, reprehenditur. Adduntur & finguntur, imo firmiſſime creduntur a mulierculis fabellæ, animalculum eſſe uterum infimo in ventre tanquam Domuncula habitans, ſenſus acutiſſimi, ad iram pronum, quod ſi leviſſima de cauſa irritetur, ulciſci injuriam, aſcendere exempli gratia verſus partes ſuperiores, varias turbas excitare, imo ſuffocationem minari &c. ſoleat. Quis crederet hæc aliter niſi per jocum narrari? nihilominus pleræque mulieres illud pro indubitato habent: quin narravit mihi Excellentiſſimus Dominus Decanus, quod cum aliquando obſtetrici multa praxi exercitatæ oſtenderet uterum, aperto

in

in cadavere adhuc in ſuo loco firmiter detentum, illam difficillime perſuaderi potuiſſe, ſibi monſtrari uterum, ſed ſemper poſtulaſſe, ut animal illud in apricum produceretur. Sed hæc obiter. Illud volumus, Uterum ſæpe falſo accuſari. Quin malum illud, quod hyſtericum dicunt, in ipſis Viris cum omnibus Symptomatibus a Medicis obſervatum eſt. Maximam autem Mulierum ærumnam eſſe a Menſibus vel plane non, vel non rite fluentibus, fatendum eſt. Atque ſi ad horum Statum non attendit Medicus, oleum & operam in curatione ægrarum perdit. Placuit ergo mihi Speciminis Inauguralis loco breviſſimis ſequentem exhibere Caſum.

CASUS.

Puella viginti annorum conqueritur de gravi narium hæmorrhagia per vices redeunte.

RESOLUTIO.

§. I.

CASUM ita nude propoſitum nec reſolvere, nec conſilium ægræ dare poterit Medicus, niſi plenius edoceatur, quoniam ut aliorum, ſic hujus morbi variæ & diverſiſſimæ poſſunt eſſe cauſæ. Aſt non cognita Cauſa, cura cognita non eſt.

§. II.

Quoniam autem hic præſens erat Medicus, inquirere non opus erat in vitæ con-

ditionem,

ditionem, & quo victu uteretur. Sciebat enim eſſe Nobilem, lauto victu utentem & a vino generoſo dulci non abſtinentem, vitam præterea ſedentariam degentem operibus modo curioſis, quibus vix digiti exercentur, intentam. Putares hisce ex circumſtantiis ſatis patere originem morbi, qua emendata, quod non difficile, reſtitutum iri ægram.

Aſt Medicus in hisce acquieſcendum non putabat.

§. III.

Quum itaque inquireret in rationem tam pertinacis quietis, illamque diſvaderet, accuſabat illa impotenriam, & languorem omnium membrorum maxime pedum, ut non ſine labore ambulare poſſet, ſine dubio, pergebat, hæc debilitas oritur ex tanta Hæmorrhagia. Medicus tamen etiam in morbos prægreſſos & conjunctos inquirendum exiſtimabat. Quod ad prægreſſos, nunquam niſi Variolis laboraverat. Aſt ab ali-

qvot annis ſentire ſe ajebat quandoque dolorem in lumbis. Cum tandem & tempus paroxysmi percontaretur Medicus, dixit, aliquando ſibi eſſe trium, aliquando quatuor hebdomadarum inducias.

§. IV.

Hisce auditis & probe perpenſis non vane ſuſpicari licebat, fontem mali a Menſium vitio derivandum. Cum igitur etiam de his interrogaretur: Eheu, inquit gemens, non novi illos niſi per famam.

§. V.

Tum vero ambigendum non amplius judicabat Medicus, cauſam omnem Hæmorrhagiæ hinc deducendam. Nempe prætérquam quod nullum fere ſit malum, quod in ſequiori ſexu hinc derivari non poſſit (uti Puerorum morbi a Vermibus.) Conſiderabat imprimis, quod ſi plane obſtructi ſint rivuli, per quos manare debebat, ſuperfluus iſte (nam talis eſt in non gravidis) puellarum

rum ſanguis, quod tunc quærat alias vias, per quas exitum inveniat.

Nunc per Hæmorrhoides excernitur, nunc vomitu ſincerus ſæpe rejicitur, nunc e pulmonibus per hæmoptyſin, quin ex oculis erupiſſe Auctores narrant.

§. V.

Prognoſis hæc eſt:

Si Menſes rite provocari per Artem posſunt, tum & vigor membris redibit, & hæmorrhagia ceſſabit, & lumborum quoque dolor. Sin minus, majora imminent mala; Cachexia, tumores œdematoſi, Hydrops. Non autem nullam reſtituendæ Ægræ Medicus facere poterat ſpem vel ob ipſum illum lumborum dolorem, unde judicandum merito, conatum adeſſe Naturæ, & molimina illa tendere ad ſalutarem per debita loca evacuationem.

§. VI.

Ut autem cura recte inſtituatur ad cau-

ſam potiſſimum reſpiciendum erat (uti alias etiam fieri debet) niſi tam copioſus fuerit ille ſanguineus narium fluxus, ut pro Symptomate urgente habendus. Tum quidem tantisper cohibendus, donec in viam poſſit reduci debitam, ſanguis.

§. VII.

Primo itaque loco vena in pede & utroque quidem aperienda, quo alliciatur verſus inferiores partes ſanguis, ne caput petat, evacuatis etenim vaſis declivioribus, ſpes eſt, fore, ut illuc potius ruat, quam ſuperiora cum impetu petat, conceſſo faciliori exitu. Prodeſt autem utroque in pede ſecare venam, quo largior ſit iſte fluxus. Tὸ καιϱὸν ſeu tempeſtivum tempus etiam obſervandum eſt, quantum fieri poteſt, nempe, ut ante imminentem hæmorrhagiam Venæ ſectio celebretur, quamvis & aliquando ipſo tempore, quo ſanguis e naribus ſtillat, inſtitui prudenter poſſit

§. VIII.

Uti vero per extrema pedum vaſa, utpote

exilia

exilia, facilius provocatur, ſanguis illuc pelliciendus, ſi calida pedes immergantur, eo quod & vaſa dilatet calor, & ſanguinem tardum in motum excitet; Ita facile apparet, multum commendanda pediluvia eaque quam fieri poteſt calidiſſima. Quorum etiam utilitas hinc ex oppoſito confirmatur, quod in illis mulieribus, quæ ſingulis menſibus rite purgantur, evacuatio illa quam ſæpiſſime ſiſtatur, ſi pedes frigori inſolito exponant.

§. IX.

Ad cathartica ut accedamus, initio curæ vix alia, quam clysmata aut diuretica danda, & clysmata quidem convenient acerrima, ſtimulantia. Mirus etenim inter illas partes (inteſtinum rectum, veſicam & medio loco conſtitutum uterum) conſenſus, forſan ob viciniam. Unde & partum hoc artificio promovere ſolent obſtetricantes & Medici & Mulieres.

§. X.

Dein inſiſtendum ante omnia aperien-

tibus, quibus ſenſim reſerari poſſint illi ob-ſtructi ductus. Pellentia omnino vitanda; nam hic feſtinandum lente. Atque illa Medicamenta, quæ nimis urgent opus, ſolent magis adigere in obſtructa vaſa ſanguinem, qui cum orificia nondum aperta inveniat, nec ſuo niſu aperienda, majores excitat turbas. Hæc inter aperientia præcipue commendamus Martialia.

§. XI.

Quando autem alias notum, quod ſi chalybeata adhibeantur; primo; purgandum eſſe per intervalla corpus, ne quid in plicis primarum viarum hæreat. Et hoc obſervari volumus. Secundo; per experientiam notum, quod martialia tarde agant, itaque illorum uſus etiam continuandus, idque ſæpe ad duos menſes & ultra. Tertio; exercitio corporis opus, & quando ipſa exercere motu non poterat corpus; ob membrorum inertiam, moveri tamen debebat, e. g: curru vehi: &c.

§. XII.

Præterquam enim quod motus virtutem Medicamentorum efficaciorem reddat, (uti in vomitoriis, purgantibus, diureticis, ſudoriferis obſervamus) certum, quod etiam hic Martis vim adaugeat multum.

§. XIII.

De aliis, uti peſſis uterinis nihil dicemus. Quæ autem ipſum narium fluxum cohibeant, eorum contexere catalogum nolumus, ſunt etenim illa plerumque Styptica, aut frigida maxime actualia, quo referimus lapidem hæmatitidem manu detentum, aquamque frigidam &c. ſuperſtitioſa autem amuleta non moramur.

§. XIV.

Quod ad Diætam attinet, de Corporis quidem neceſſario exercitio jam diximus. Ceterum qualis victus eſſe debeat, & tyro Artis judicabit, nempe parcus & tenuis; Tandem abſtemia ſit Ægra.

DUm titulos Medicina parat, dum præmia confert,
Te gnatum parili mactat honore ſuum.
Tanti eſt divinam didiciſſe fideliter artem,
Quæ miſeris ſemper portus & aura manet.
Illam etenim ſani multum venerantur & ægri,
Hancque orbis divam maximus ipſe colit.

IO. VVILHELMUS ENGELBRECHT. D.
Ordinis JCtorum Senior & Academiæ
Juliæ Vice-Rector.

ESt *Medicus medicus*, doctus depellere morbos,
Cui fortuna fidem præſtat, ridensque benigna eſt.
Hocce Tuum *ſpecimen* doctum dat cernere dotes,
Quas Tibimet cœlum tribuit, fortunaque ſupplet.
Propterea grator *ſpecimen*, doctum huncce laborem,
Doctoremque ſimul novum, cui Iulia plaudit.

IO. ANDR. SCHMIDT Th. D. PP.
ordinis theol. Senior & Abbas
Mariaevallenſis.

ARtis Apollineæ Summo donaris Honore.
Gaudet eum Digno doctus Apollo dari.
Sit Tibi fauſtus Honos! optat. Sequor, Ejus amicum
Et repeto Votum: SIT TIBI FAUSTUS HONOS!

gratulabundus ſcripſit

PRÆSES.

Hæredes

HÆredes quondam rerum Græci medicarum:
Gnatus pro gnato condidit illa ſacra.
Nunc aditus cunctis patet, intima munera proſtant:
Doctores tradunt, cui libet, arma palam.
Doctoresque creant Medicos, arcana notaſſe
Quos norunt: Uſus ſit licet artis opus.

Doctori Medico LESCHIO

grat. ſcr.

HERM. von der Hardt/ Decanus.

QUos Tibi Muſa parat, tradit quos Phœbus honores,
Suſcipias lætus, Pæonia arte potens.
Suſcipe, quæ doctos circumdant ſerta labores,
Docti quæ tandem præmia juſta ferunt.
Omnipotens adſit porro Tibi Rector Olympi,
Et veniat cœptis aura ſecunda Tuis.

Hæc gratulabundus appoſuit

JUST. ANDR. RICHERS Hannov.

Opponens.

SAnguinis *effluvium naris* Tua ſcriptio *ſiſtit*,
Atque, queat *ſiſti* qua ratione, docet.
Hocce Tuum ſpecimen doctrinam ſpirat ubique,
Naris & *emunctæ* Te probat eſſe virum.
Hinc Tibi conferri Medici Doctoris honorem
Cernimus: applaudit turba novena rei.

Sume

Sume brabea, Tibi quæ Julia tradit, & ægros
Qua modocunque potes parte juvare juva.

Pereximio atque Doctiſſimo Dn. Doctorando, Fautori ac amico ſuo perdilecto, mente & manu ita ſuum teſtatur amorem

DANIEL. EBERHARD. BARING
Medic. & Philol. Stud.
Opponens.

PHœbus ubi ſummo dignum TE mactat honore,
Et ſtudii confert præmia larga TIBI.
Gratulor hocce TIBI, doctiſſime, nomine LESCHI,
Atque TIBI poſthac fata benigna precor.

Paucis hisce Clariſſimo Diſſertat. hujus Dno. Autori gratulari voluit, debuit.

BARTH. MATTH. HAGEMANN. J. U. S.
Hamburgenſ.